DE PSEUDOMORTE DEQUE UTILITATE VEL DAMNO AEREM IN…

Cesare Castiglioni



DE PSEUDOMORTE
DEQUE UTILITATE VEL DAMNO AEREM IN PULMONES INFLANDI

TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

CAMILLO PLATNER

POL. MED. ET MED. LEG. P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFERRET
IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI
MENSE JULII MDCCCXXXI

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

D. CÆSAR CASTIGLIONI
MEDIOLANENSIS
CHIRURGIAE DOCTOR
ARTISQUE OBSTETRICIAE MAGISTER.

Ticini Regii
EX TYPOGRAPHIA BIZZONI
I. R. Univerist. Typograph.



Haec est conditio mortalium, ad hasce ejusmodi occasiones fortunae gignimur, ut de homine ne morti quidem debeat credi.

PLINIUS.

OPTIMO · VIRO

JOHANNI · POGLIANI

UTRIUSQUE · JURIS · DOCTORI

AC · CAES · R · CONSILIARIO

IN

MEDIOLANENSIBUS · THEMIDIS · AEDIBUS

EMERITO

GRATISSIMUS · NEPOS

INGENTIS · AMORIS · ET · OBSERVANTIAE

SIGNUM

D.





PROOEMIUM.

§ 1. SIQUIDEM omnia in universo naturae systemate occurrentia phaenomena, omnesquem utationes per gradus sensubus ab initio haud percipiendos absolvuntur; ita et hominis vita priusquam extinguatur, elanguescit, ejusdem manifestationes vix adeurato examine deprehenduntur, dein omnino silent, et gelida tandem mors legibus chemico-grandimundialibus humanum corpus committit. Quare neminem sane latet, perarduum opus esse, determinatos illico statuere limites, qui has singulas hominis adhuc viventis aut vix emortui mutationes designent; et homo vita adhuc donatus ceu mortuus idcirco haberi potest. Plurima revera indicia sunt praesto, quorum nonnulla praestantissima sunt, nec unquam fallacia, sed nonnisi tum conspiciuntur, cum jam multum

temporis ab oborta vitae mutatione fuerit elapsum; omnia e contra perpetuo decipientia cum illico disquisitioni subjiciuntur. Quamobrem exactam mortis notionem adipisci, ne homo vita nondum destitutus humo tradatur, magni ponderis argumentum est, quod sibi medici, phylantropico sensu donati, studia ac sollicitudines imperiose deposcit. Nec mirari subest, plurimos inter sapientissimos extitisse, qui hanc rerum medicarum spartam adcurate excoluerint et salutari illustraverint doctrina. Id quidem operae Clar. *De-Haenii, Sauvagesii, Lancisii, Morgagnii, Burserii, Frankii* aliorumque potissimum debetur, qui reapse sat multa atque utillima de hoc protulere, licet tutissima haud adhuc suppeditaverint criteria, quorum ope vix silentibus vitae manifestationibus, conditio, quae mors adparens vel realis audit, dijudicari possit. — Cum res ita sint, cumque auctores, qui summam thesis dignitatem sunt perscrutati, sedulis indulserint laboribus adeo, ut quidquid ratiocinii ope atque observationis erui potest jam innotescat, quid a tyrone ditionis peritia experto, et temporis angustiis in hac re explicanda presso, sperandum? Audaci revera non tenemur spe, praestans in medium proferendi opus; nec nostra mens est, fusius ea omnia edisserere, quae ad mortem adparentem attinent. Si quis enim in praesentia hunc aggrediretur labo-

rem, vitare haud posset, quominus antigraphiarius prodiret. Quam ob rem bina solummodo capita agere constituimus, quorum alterum vitae, mortisve statum discriminandi difficultatem respicit; alterum emolumenta vel damna, quae ex aeris insufflatione prosilire queunt. Ad hanc sententiam plurimis sane rationibus allicimur. Statuta enimvero mortis fictitiae possibilitate, eâque ratiocinii vi atque observationibus illustrata, id omnibus persuadere opinamur, emortuos longe majorem sibi respectum vindicare, et sacrum unicuique munus incumbere, rationes omnes adhibendi, quae eo nituntur, nè miserandi casus eveniant, ne scilicet homines ad speciem duntaxat emortui telluris visceribus praepropere committantur. Insufflationis autem auxilium expendere ducimus, utpote quod rite vel perverse usurpatum, vel etiam omnino praetermissum (cum plurimae hac temporibus de hoc controversiae fiant), praecipuam largitur rationem, qua vel asphyctici ab orci faucibus eripiuntur, vel dirissimo fato mortem certissime occumbunt.

CAPUT PRIMUM.

MORTIS FICTITIAE POSSIBILITAS.

§ 2. Homo perfectissima vita insignitur, quae, ut verbis cl. Doct. M. *Germani* loquar, « lo agita, lo commove, lo diparte dagli altri esseri, e lo fa signore dell' universo » (1). Statim ac potentiarum nocentium vi ejusdem organismus ita adficitur, ut amplius nequeat congruam reactionem opponere, hujusmodi sublimis vitae manifestationes supprimuntur, relatio nempe, quae hominem inter et objecta externa obtinet, adeoque silent, ut sensu et motu destitutus homo mortui adinstar se praebeat. Ejusdem verumtamen organismo ea vis inhaeret, qua invicem integrantes moleculae junctae servantur, nec non illa quae organicas functiones gubernat, quare tunc homo ad vegetabilia quammaxime accedit. An vero dum homo in hac conditione versatur, emortuus dici potest? Nullatenus plerumque. Ubi externae nocentes propliases organorum aut systematum textum, quae summum in vitam alendam influxum

(1) *De' segni della morte*, *Pavia* 1825.

exeruut, graviter haud adfecerint, remotis ipsis prophasibus, effectus quoque aliquando removentur, vel saltem aptis auxiliis organorum functionibus sollicitatis, adeo actuosa occulta organica vita saepenumero reddi iterum potest, ut tandem et illae vitae ordinis sublimioris manifestationes in propatulum veniant, ex quarum defectu conditio morti haud absimilis duxerat ortum. — Si quis animo pervolvat, innumeram plane esse potentiarum nocentium cohortem, quae modo enkephalon, modo pulmones, modo cor aggrediuntur, eorumque functiones pro momento obruunt, quin attamen organico textui mechanicas laesiones inferant, sponte percipiet, frequentius, quam vulgus opinatur, mortis adparentis casus contingere. Et revera ex animi pathematibus, ex frigore, ex nervosis adfectubus, nerveum aliquando systema adeo in passionem adducitur, ut, ejusdem muneribus ad vitam animalem attinentibus pro momento suppressis, mortis imago prodeat. Alias e contra hujusce miserrimi status origo ex corde proficiscitur, quemadmodum saepenumero effraenae haemorrhagiae ciborum diutinus defectus, viscerum abdominalium morbi etc. efficiunt. Quandoque tandem, immo frequentissime asphyxia a suppressa pulmonum functione originem sumit, idque videre est, quotiescunque vel aer atmosphaericus deficiat, vel ejus loco quaecunque alius ge-

neris aeriformes substantiae pulmonibus sat diu attrahantur. Quae omnia cum medici reverterint, triplicem asphyxiarum divisionem hisce principiis innixam statuere. — Si porro quot quantaque auxilia sunt praesto, quae languentes vires erigere, exhaustas refocillare saepenumero queunt, quis accurate perpendat, item dignoscet, medicorum conamina, ut obruti asphycticorum sensus in pristinum reddantur, haud raro utilia fieri, et exoptatos effectus sortiri. Ast res in tali statu vel in praesentiarum versantur, ut quamplurimi homines jura atque socialia munera, quibus unusquisque invicem obstringitur, negligant aut spernant; et vix gelida mors hominem comprehendit, caeteri illius horrent conspectum, aufugiunt, easque curas non largiuntur, quibus aliquando imperium ineat, occultam et ferme extinctam vitae favillam iterum excitandi. Et homo quo origine excelsior, eo in universim operibus vilior atque injustior. Quae caussa est, cur tam sollicitus semianimes fugiat, et se avertat? Cur in summis vitae angustiis parentum praesentiam, natorum, conjugis ferme pertimescit? Cur homo corpora mandare festinat, quorum adhuc desiderium superest? Cur demum se totum in ipsa non profundit, ut si quid artis auxilio sperandum, absolvatur? Haec omnia sacrum constituunt munus, quo nemo se eximere potest, quin erga supramum mundi ar-

bitrum, et societatem humanam crimine contaminetur; siquidem est constitutum, unumquemque hominum alterius bonis, et praesertim vitae, consulere debere.

§ 3. Ast ad propositum revertamur, et mortis adparentis possibilitati factis atque observationibus firmissimum fulcimentum addamus. — A remota usque antiquitate miserandos casus obtigisse hominum vel rogis, vel humo commissorum, antequam ultima vitae vis aegrum jam corpus deseruisset, non modo veterum mores justa funera respicientes, verum et scriptorum historiae abunde testantur. Diversae enim cadavera abluendi rationes, diversaque impensa unguenta (1), et altus tubarum sonitus, quorsum

(1) *Apud Graecos ablutionum et unguentorum usum invaluisse, haec Omeri carmina testantur.*

. . . . . πυλλα δέσ αμφις
"Υδατι τε λιαρῷ και αλείφατι.
. . . . purgantes corpus pulchrum
Aquaque calida et ungueuto.

Omer. Odys. xxiv. v. 45.

Asterso prima il tuo formoso corpo
Con tiepid' acque e con fragranti essenze.

Pindem. Traduz.

Virgilius et ipse hunc morem recenset

Corpusque lavant frigentis et ungunt.

L. iv. v. 218.

spectabant, nisi ad tutissimam mortis ideam acquirendam? Pollinctorum, ac Praeficarum munera nonne dilucide evincunt, veteres de morte in dubiis perpetuo haesisse? Primi iterum ac saepius cadavera abluebant, caeterae vero, quantum niti poterant, ad aures emortuorum clamitabant, ut, si quid vitae ipsis adhuc inhaereret, quibusdam signis prodiret. Inter mortis adparentis historias autem quaedam sunt adeo memoratu dignae, ut ad alia progredi, quin eas enarremus haud consonum existimamus. — Plurimi historici asserere haud dubitarunt, *Esculapium* fulmina correptum fuisse, quod homines ceu mortuos jam habitos in lucem reduces fecisset. *Apulejus* et *Celsus* tradiderunt, *Asclepiadem Bitinium*, celeberrimum medicum *Ciceroni* coaevum, hominem ad vitam revocasse, qui feretro jam receptus cum funebri pompa rogum advehebatur. *Plinius* enarravit *Aviolam consularem virum in rogo revixisse, sed quo-*

Casalius Romanus, *de profanis Romanorum ritubus*, et Rosini *de Romanis antiquitatibus agentes*, *uberius hujuscemodi actuum in cadavera patratorum veritatem confirmant. Usus autem unguentorum ad proximam etiam cadaverum combustionem spectabat, quo intuitu et pingues liquores, thus, oleum, dapes, carnem scilicet et victimarum adipem, rogo adjiciebant.*

niam subveniri non poterat, praevalente flamma, vivum fuisse crematum. (1). Quid plura? Horret animus (ut verbis utar praeclarissimi *Lancisii*) meminisse *Vesalium*, neglectae olim anatomes parentem, ad mulierem hystericam, quae mortua credebatur, dissecandam accersitum, eo negligentia sua fuisse perductum, ut vix alteram novaculae impressionem adegerit, cum illa motu, et clamore se vivam osteudit etc. . . (2) — Quidam abbas, nomine *Prevôt*, gravi apoplexia correptus in amoena Chantelhaci sylva cultro anatomico magistratuum jussu subjiciebatur, et cum lethalia vulnera jam inferta fuissent, terrificos clamores edidit, quibus se adhuc viventem dilucide patefecit. Coustitit anatomicus, sed nimis tarde: exenterato enim vix tantum vita superfuit, ut exsecta membra, suosque occisores intueretur. — Nec displiceat porro hic perlegere, quod Clariss. *Petrus Franck* retulit « Una donzella di diciott' anni abitante in Versailles venne dopo una breve malattia presa da un sopore, per cui cessarono in lei tutte le funzioni vitali. Già si era preparata la bara, e il falegname che n' era stato incaricato, avendola fatta alquanto troppo breve, durò grande fatica ad incassarvi il cada-

(1) *Plin. Histor. Nat. lib. 7 cap. 52.*
(2) *Lancisi. De subitaneis mortib. lib. 1 cap. xv.*

vere, e finalmente ve lo chiuse con parecchj chiodi. Appena scorse ventiquattr' ore dopo la morte, incominciò la pompa funebre, in cui alcune donzelle portavano il cataletto. Queste avendo sotto la processione avvertito qualche movimento nella cassa, piene di spavento la lasciarono cadere e si diedero a fuggire. Tutti quelli, che assistevano al funerale si avvicinarono al feretro, e ne ritirarono la donzella, la quale ricondotta ai suoi si riebbe in breve, a visse ancor molt' anni. (1) »

Plura adhuc adjungere, quae mortis adparentis possibilitatem illustrent exempla, plane et omnino supervacaneum foret (2). Nobis suavissima arridet spes, haec pauca ruditer conscripta, medicos atque profanos edocere, summis interdum difficultatibus judicium de morte ac vita latenti premi; et accurata quammaxime opus esse rerum investigatione, ne lugubria renoventur exempla, quae probrosa ac indecora medicis, et hu-

(1) *Frank.*

(2) *Qui autem scripta clar.* Zacchiae, Gughelroi Fabbri, Crafftii, Diembroeckii, Bruhierii, Curry, Amati Lusitani, Alexandri Benedicti, Foresti *etc. etc. perleget, innumeros casus, qui extra dubitatiõnis aleam possibilitatem mortis adparentis ponunt, deteget.*

manitati summopere injuriosa sunt. In optatis porro habemus, quod mortuariae camerae a clar. *Thierry*, *Petro Frank*, et *Hufeland* jam propositae ac summopere commendatae, quemadmodum in plurimis Germaniae regionibus, ita etiam apud nos et ubique instituantur.

CAPUT SECUNDUM.

DE AERIS INFLATUS EMOLUMENTIS VEL NOXIS.

§ 4. Quaedam obveniunt potentiarum nocentium species (§ 2), quarum in humanum organismum agendi ratio eo nititur, ut pulmonum, cordis vel enkephali vitales functiones interturbet, obruat, vel et plane supprimat; quin attamen vitae elementa destruat, et ejusdem proinde restaurationis possibilitatem perpetuo avertat. Nostrum haud est, hasce omnes rationes singillatim enucleare, verum duntaxat exponemus, earum virtutem sive in cerebrum, sive in cor, sive tandem in pulmones conversam, omnium hujuscemodi organorum vitales manifestationes supprimere, quare ubique sensuum et motus defectus, nulla arteriarum et cordis pulsatio, nulla respiratio, phaenomena statunt jugiter tunc prodeuntia. Quatenus autem cerebri functionem inter, easque pulmonum et cordis summus consensus viget, quo fit, ut

unius adfectio ad alterum viscus illico transferatur, eatenus sponte fluit, omnia auxilia, quae unius vel alterius latitantem vitalitatem excitare atque in actum deducere valent, salutarem in unaquaeque organa influxum simul exerere; et homines proinde ad speciem emortuos ad vitam revocari posse, iis remedia usurpatis, quae vim vitalem quorumdam recensitorum viscerum activiorem reddunt, quaecunque fuerit potentiae nocentis actio, in cerebrum videlicet, aut in cor, vel in pulmones versa. Nos attamen non latet summi emolumenti esse, ea adhibere auxilia, quae vitalem organi, noxia prophasi directim adfecti, vim praeprimis extollere queunt; ast cum hujusmodi rei potestas omnia in medicis sita saepenumero non sit, ita refert ad ea confugere auxilia, quae ubique sunt praesto, et quorum virtus luculentissimis confirmata periculis, jure merito inclaruit. Haec inter, qualecunque asphyxiarum genus obveniat, aëris in pulmones artificialis insufflatio refertur, qua in re eam absolvendi rationes, auctorum sententias ejusdem utilitatem inficiantes, et ea quae ipsis objici possunt, exarabimus. Ast liceat primitus quaedam de *binis securitatis arculis* (1) properanter scri-

(1) *Cassette di sicurezza N. 1. 2.*

bere, quae Ill. *Rudtorffer Vindobonensis* nuper proposuit.

§ 5. Praedictus eximius Vir laudabili mente ductus, ut illico, et ubique locorum medici auxilio asphycticis adessent, omnia, quae singulis in casibus necessaria fiunt, in unum collegit, binas nempe securitatis arculas construendo, quae instrumenta praecipua, medicamina plurima, aliasque res, quae tum suppetias afferre queunt, cum asphyxia correpti homines inveniantur ubi nec pharmaceuticae officinae, nec frequentes domus occurrunt, abunde recipiunt. — Quam commendatione sit dignum Praeclar. Professoris opus, et quam maximum humanitati emolumentum intulerit, nemo est, qui non videat, illud praesertim perpendendo, quod innumera asphyxiarum exempla ibi reapse contingunt, ubi nullum prorsus auxilium est praesto, neque aliunde obtineri potest, quin longum antea suscipiatur iter, quo in casu perraro ea omnia ferri una vice possunt, quae ob varias inde prodeuntes indicationes necessaria redduntur. Ast et quae utiliter sunt inventa, haud semper illico omni ex parte itidem perficiuntur. Liceat ergo mihi (quamquam adhuc discipulo) ea quae sentio, candide proferre, servata interim observantia quae huic Viro jure merito debetur. — Capsulae ab Ill. *Rudtorffer* propositae, nimium ingenti volumine pollent, instrumentis et phar-

macis replentur, quae saepenumero supervacanea evadunt, et adeo sunt ponderosae, ut homo urgenti necessitate compulsus nec celer nec solus periclitantibus in subsidium ire possit. Quare praestantissimus Professor *Platner* hac mente est (quemadmodum auditoribus suis enuntiare consuescit) apparatum hunc sat melius publicae utilitati inservire posse, si binae capsulae parviores fiant, minus ponderosae, et quibusdam insuper adminiculis destituantur, quorum defectus parvi vel nihili faciendus est. Autumat praeterea omnia, quae hasce arculas ingrediuntur, remedia, ita dispertire deberi, ut altera primae necessitatis vel *urgentioris auxilii* instrumenta recipiat, quae expedite longo etiam itinere a celeri homine ubique transferri queat; altera e contra ea contineat, quae tardius occurrere possent.

§ 6. Hisce per transennam enarratis, specialius de praestantissimo auxilio, de aeris, nempe, insufflatione dicemus. — Nemo prorsus medicorum vel profanorum est, qui non dignoscat, aerem necessarium vitae pabulum constituere; ex ejusdem defectu illico asphyxiam et mortem contingere, ex alterna in pulmones attractione, et expulsione, quibus inspiratio, atque expiratio respondent, sauguinis restaurationem perfici, et hujusce laticis circuitum ac cordis motum quam-

maxime adjuvari. Quamobrem nemo aeque inficietur, aerem praecipuum auxilium largiri, cujus ope occulta asphycticorum vita ad pristinam manifestam revocari potest; ast non omnes in unum consentientes deprehendimus, cum de ratione hoc remedium suppeditandi agatur.

Fertur, a remota jam antiquitate, ab eo videlicet tempore, quo *Paracelsus* inclaruit, morem invaluisse, miseris, asphyxia correptis, hominum sanorum spiritum oris ope impertiendi; et istiusmodi amantissima praxis saepenumero exoptatum eventum adepta est, in submersos potissimum usurpata. Cum autem periculis apta ratione in animantia institutis ejusdem utilitas liquido innotuerit, therapiae quoque hominum, morte adparente ob alias prophases correptorum, fuit adcommodata. Hoc eximiae pietatis opus permultos hinc revocavit homines, quorum vitae restitutio ad Numinis Supremi munera duntaxat spectare videbatur. Quare hic praecipue congruere videtur, quam *Tiraquellus* sententia protulit. *Ita homo fit homini Deus, cum medicus morti proximos, ac veluti adjudicatos, atque etiam quosdam, qui mortui putabantur, reddidit sanitati.* (1).

(1) *De Nobil. cap.* 31.

§ 7. Hisce factis, reapsa mirificis, subinde occurrentibus, fieri non potuit, quominus medici animum ad ea adhiberent, et sedulam operam navarent, ut aëris adplicatio aptioribus methodis absolveretur. Fistulam primitus flexilem vel per nares, vel per os, epiglotide aliquantulum remota, introducendam, cujus gratia alterno opere expiratus aer asphycticorum pulmones ingrediretur, atque ex ipsis educeretur, medici proposuere; ast cum peculiaria hujusce expirati aëris quabtates ob chemicas investigationes inde dignoverint, suapte eorum studia eo nitebantur, ut rationem meracum atmosphaericum aerem usurpandi retegerent. En proinde paullo post amplicis follis usum commendari, sed una medicos inter oboriri dissensum. Revera Clar. *Fothergill*, licet ex quorundam medicorum periculis inferri, aerem follia ope in pulmones facilius sufflari, dignuvisset, opinatus attamen est, hominis os hoc munere aptius fungi, quia aeris ea solummodo quantitas tali pacto in pulmones urgetur, quae ab ipsis recipi potest (1). Haecce vero animadversio, plurimi nihilosecius non habenda, sponte corruit, postquam *Hunterianus* follis ab illustriss. prof. *Configliachi* emendatus artis salutaris auxilia adauxit. Hujusce instrumenti ope non modo ea aeris

(1) *Anton Fothergill's*, *Winke etc.*

quantitas sufflatur, quae pulmonum capacitati respondet, verum idoneo apparatu admoto, eidem caloris gradus impertiri potest aeri expirato aequalis.

§ 8. En omnes insufflationem operandi methodos. Quaenam aliis utilitate praestet, ex relatis jam innotescit. Animadvertendum autem in hao re summa circumspectione opus esse, ne ea vitae favilla, quam omnibus nervis excitare medici conantur, plane et omnino extinguatur. Nec difficulter id contingere posset, quare huic consilio innixi nonnulli medici insufflationem magis damnosam cedere, quam emolumento esse strenue contendunt (Vid. § 10).

§ 9. Ad aëris sufflandi qualitatem quod attinet, licet et in hac re quaedam dissensio non desit, absque negotio unusquisque deprehendit, atmosphaericum aerem heterogeneis effluviis haud inquinatum aeri pulmonibus expulso longe praestantiorem esse, siquidem hic maxima gasis acidi carbonici, et parva oxygenii quantitate pollet; quorum primum organis respirationi dicatis quammaxime infensum evadit, altero, oxygenio nempe, summa virtus, languentes pulmonum vires erigendi, inest. Et en ratio, ob quam Eximii *Chaussier et Van-Marum* (1) istud vitale gas summis

(1) Beobachtungen etc. — *Osservazioni e sperienze sui mezzi di salvamento per' gli annegati. Vide et* Daniel Hill «Beobachtungen etc.» *sulla forza del gas ossigeno.*

extulerunt praecones, ejusdemque usum enixim commendarunt; et *Ackermann* (1) non modo eandem sententiam amplexus est, et ceu unicum tutissimum auxilium oxygenium habuit; sed immo illius in vasoula sanguifera insufflationem proposuit ac collaudavit, ut sanguini commixtum ubique vim stimulantem exerat, et languentem vitae scintillam reficiat. Ast utilitatem aeris atmosphaerici prae expirato nos ipsi tuentes, oxygenium e contra tum duntaxat usurpare suademus, cum aer meraeus haud proficuus cesserit; et quoad oxygenii in vasoula insufflationem, licet nobis experientia deficiat, ratiocinii nihilosecius vi ejusdem inutilitatem inficiari haud cunctamur. Et revera circulatio in asphycticis vix obtinet, levissimus nempe in vasculis motus perficitur, quare oxygenium et summa vi sufflatum in circulum non advehitur: vel ubi id contingeret, insueti stimuli nimis actuosa potentia languentem vitam potius extingueret, quam excitaret. Nec, pro dolor! hominum ex liquidis minus, quam oxygenium, heterogeneis, in vascula sanguifera injectis, miserae emortuorum exempla hac aetate deficiunt.

(1) Der Scheintod etc. *Tentativo chimiatrico.* *V.* Poppe *pag.* 459. 599.

§ 10. Jam supra tetigimus vel ipsam aeria insufflationem controversiis obnoxiam fuisse (§ 8). Revera mirari subest, quod homines re et nomine praestantissimi sententiam tueantur, operam illiusmodi exitiosam in universim esse Hos inter *Leroy d'Etiolles* praeceteris eminet (1), et cum argumenta ab ipso in medium prolata primo intuitu aliquam veritatis speciem praeseferant, ita refert ea recensere, atque trutinari. — Primum, quod plurimi facit, argumentum, periculis in animantia institutis innititur, quibus infertur, aërem in pulmones aliqua vi inflatum modo mortem, modo gravissimam, in posterum nihilominus profligatam, dyspnoeam induxisse. Et ratio hujuscemodi rei, ipso *Leroy* docente, in eo latitare videtur, quod insufflatus aër vesiculas aëreas nimis expandit, tenuissimas solvit aliquando membranulas, et pleuram inter et pulmonum textum collectus, ea organa volumine et pressu obruit, quorum munera excitare debuisset. Academiae scientiarum Parisiensis Praefecti, cui ipse *Leroy* suum commentarium obtulit, in oves, vulpes, cuniculos etc. eadem susceperunt pericula, quorum consectaria opinioni *Leroy* fulcimento fuere — Insufflationis porro effectus clar. auctor in cadavera expertus est, et supra recensitis observationibus respondere

(1) *Ephemer. univ. medicin. v.* xi *p.* 175.

comperit, Academiae Praefectis ob iterum instituta pericula iterum consentientibus. Cellulis attamen pulmonum infantum insufflatus aer nullum detrimentum inferre, idque vel in canibus contingere, neque dignovit; ob majorem videlicet textus pulmonalis vel compactionem, vel crassitiem atque elasticitatem. — Hisce pensitatis artificialem aëris insufflationem hominibus exitialem, infantibus periculosam esse declaravit. — Ne vero quid omitteret, ejusdem sententiae confirmandae idoneum, tradidit, eximium *Pia* absque aëris insufflatione submersis jampridem felici eventu medicinam fecisse, immo longe majorem asphycticorum numerum ad vitam revocasse, quam postmodum contingit, cum insufflatio usurpari consuevit. Collegit revera observationes (1), quibus

(1) *Tabulam proferre, quam in Ephemeridibus recensitis invenimus, haud alienum putavimus.*

	Annegati raccolti dall' acqua	Soccorsi	Salvati
Anno 1821	N. 309	50	37
1822	— 259	64	se ne ignora il N.
1823	— 288	65	46
1824	— 308	51	49
1825	— 315	73	57
1826	— 362	77	54
	1835 (1)	378	243

(1) Error in summam irrepsit, cum Numerus 1841 respondeat.

eruitur, numerum eorum, qui post insufflationem mortem evasere, cum iis, quibus opem non intulit, in ea ratione versari, ut 1:2; dum e contra cl. *Pia* longe diversam rationem obtinuit, qui absque insufflationis auxilio ex decem novem letho adimere potuit. Quam ob rem magis adhuc strenue insufflationis utilitatem inficiatus est, et eam omnino prohibendam declaravit, m saltem methodo, quam ipse proposuit, absolvatur, et cujus expositioni supersedemus. Sufficit enim hic loci efferre, *Leroy* acuum sub galvanico influxu positorum et loco insertioni diaphragmatis respondente infixorum usum, atque aeris calidi follium ope insufflationem, summa prudentia perficiendam, suasisse; quam methodum porro relate ad submersos tum solummodo proficuam cedere, et respirationis opus in pristinum reddere perhibuit, cum haud ultra quinque horae minuta in aqua fuerint commorati. Eximius vero *Magendie* sententiam *Leroy* adeo tutatus est, ut non modo nullius auxilii post quinque a submersione horae minuta insufflationem esse defenderet, sed inanem prorsus, quotiescumque submersus syncope antea affectos non fuisset, declaravit.

§ 11. Licet erga hos praeclarissimos Viros observantissimi eorum auctoritatem plurimi faciamus, nobis attamen in animo est, oppositam tueri posse sententiam: et circumstantiarum numerum, qui-

bus stantibus vel nocens redditur insufflatio, vel nullam largitur opem, arctissimis coercere limitibus; idque potissimum aliorum Virorum auctoritate assequimur.

Et primitus animadvertere fas est, aeris inflatum tum solummodo noxium exerere influxum, cum vel praeter modum absolvatur, vel mechanica impedimenta aereas vias detinentes sufflato aeri aditum denegent, vel tandem, naturali respirationis opere jam incohato, alacrius quam par est, aer in pulmones urgeatur. Nec hilum revera in dubiis haeremus, clar. *Leroy*, aliosque insufflationis virtutem, periculis in animalia patratis suffultos, exitialem declaravisse ex eo, quod una alterave diligentia eorum aciem praeteriit. Huic porro sententiae hoc fidem adjungit, aliorum nempe opiniones atque pericula contrarium prorsus evincere. Eximii *Curry* verba ab illust. *Odier* in gallicum idioma versa nobis hic succurrunt, qui ait « tirons de là cette importante conséquence, que dans tout les cas de mort apparente, et particuliérment par obstacle à la respiration, le premier, et le plus necessaire de secours à administrer est d'établir une respiration artificielle en gonflant et vidant alternativement les poumons d'air fraìs (1). — Plurimi praeterea sunt auctores,

(1) Curry » *Observat. sur les morts apparentes, accompagnées d' une Instruction sur les moyens de rappeler à la vie les asphyxiés.*

qui ante *Leroy* bonos insufflationis effectus confirmarunt, et ut de quibusdam dicamus, meminisse sufficiat *Turton* pullos, *Muralt* canes ad vitam revocasse; et hac ultima aetate *Piorry* felici eventu huic periculo plurima subjecisse animantia. Nec reticendum perhibemus, praeclar. Professorem *Platner* anno elapso, in Civico Ticinensi Nosocomio, coram medicis adsistentibus, submersum cuniculum ad pristinam vitae conditionem hujusce auxilii ope restituere potuisse. Cur et ipse cellularum pulmonalium laesiones non induxit? cur noxios effectus non edidit, qui eo facilius prodire debuissent, quo magis recto tramite, per tracheam cultro incisam, aeram, Hunteriani follis ope, in exanimis bestiolae pulmones praedictus Professor sufflabat? Perita atque prudenti manu follem adhibuit, nec ideirco firmis suffultas rationibus *Leroy* aliorumque sententias detexit. Quod autem nodum, ut ita dicam, Gordianum solvit, experimenta sunt, quae in tercentum animantia clariss. *Orfila* instituit, et quorum nec unum pulmonum rupturam est passus. — Praelaudato porro *Leroy* objicere possumus, comparationem ab ipso institutam numerum submersorum inter ab eximio *Pia* absque aeris insufflatione servatorum, illumque hujusce auxilii ope ab orci faucibus exemptorum, nil prorsus ejusdem sententiae opitulari, cum nobis dilucide com-

probatum haud videatur, *Pia* aeris inflatu usum revera non fuisse. Eo enim tempore, quo is submersorum restitutioni Parisiis operam navabat, insufflationis opus jam invalnerat. Longo autem sermone opus esset ad omnes explanandas rationes, quibus fit, ut opus revocandi submersos Parisiis nunc minus prospere cedat, quam saeculo proxime elapso, eo videlicet tempore, quo studiosissimus *Pia* istiusmodi praeerat curae. Haec omnia ael. *Marc*, Gallorum Regis Archiatrus pridem enucleavit: hic tantum dicemus, variis de caussis nunc ibi contingere, quod homines flumine demersi, neque tam cito inde educantur, neque tam instructis auxiliatoribus curentur, ut antea fieri solebat; ideoque non aerem sufflandi consuetudinem, sed longe alias rerum circumstantias strictius criminandas esse.

§ 12. Ex hisce jam prorsus labans, rationi aliena, factis repugnans, ac proinde humanitati quammaxime infensa ill. *Leroy* sententia apparet. Quare hanc ulterius insistere supervacaneum ducimus, cum satis liquido aeris sufflandi necessitas, emolumenta, vel ipsa damna fuerint commonstrata. Eximii viri, quibus adversati sumus ignoscant, et Lectores hoc tenue opus festinationis plenum, ceu bonae voluntatis pignum, non ingenii aut promeriti testimonium, accipiant.

Finis.

